



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 4. Exempla eorum, quos insidens diabolus in monstra deformauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

bati? Eo vsque hominem malus hic hospes denormat, vt ex eo testudinem faciat, aut etiam serpentem, qui per terram reptat, morbisque & doloribus impleat.

## §. IV.

*Exempla eorum, quos insidens diabolus in monstra deformauit.*

Testantur id etiam diuersorum Sanctorum historiae, è quibus legimus, quosdam spumasse, quosdam ignito vultu, virentibus oculis, rictu terribili, iam luporum instar vlulasse, jam more leonũ astantes rugitu terruisse, & nullam non vocem edidisse bestiarum. De S. Bernardo testatur Wilhelmus Abbas, eum à tyrannica diaboli vexatione, liberasse mulierem quandam, cuius faciem Proteus iste vsq; adeò fœdã, deformem, horribilemque; intuentium oculis obiecerit, vt non pro homine, sed pro deterrimo monstro haberetur. Qualem vultum, quales oculos, quàm luridum colorem putemus fuisse filia illius principis parente oriundã, quam viginti sex annorum grauissimo morbo à dæmone afflictam torture suo liberauit Theodorus Archimandrita? Qualem laruam exhibuit cacodæmon, in filia Gordiani Imperato-

Wilhelm.  
Abbas  
lib. 2. c. 3.

Georg.  
Presbyt.  
in eius  
vita apud  
Sur. to. 2.

Metaphr.  
8. Febr.



ris, quem S. Tryphon ex illa eliminavit? Quàm terrificum fuit videre mulierem, Cerberi instar aconita vomentis, ore contorto spumantem, dentibusque, in morem irritatæ tigridis frendentem, quam proscripto malæ fidei possessore pristina incolumitati restituit Laurentius Iustinianus sanctus Venetorum Patriarcha? Nullus bufo ita fœdè tumet, vti tumuit guttur à Spiritu superbiæ inflatum illius, qui ad preces S. Catharinæ est persanatus. Refert Palladius, puerum ex quo S. Marcarius humani generis hostem pepulit, supra quàm credi potest, toto corpore intumuisse; tympanum putasses, aut vtrem inflatum; deinde, qua parte potuit, maximâ aquarum copiam, cum ingenti vocis elatione, effudisse. Quid dico, aquam effudisse? consuetum est hoc etiam hydrope laborantibus. Audierat D. Dominicum concionantem femina à dæmone inseffa, quæ, cum in frequentissima turba sederet, repentè agitata cœpit magnis editis clamoribus verba facientem interturbare. Id consilium erat maligni hostis, sed sua machina captus est. Nam vir sanctus & silentium imperavit spiritibus (quorum septem erant)

Bernard.  
Iustinian.  
in vita S.  
Laurentij  
Iust. c. 8.

Raimun.  
in vita S.  
Cathari-  
næ. Pal-  
lad. in vi-  
ta S. Mar-  
carij.

In vita S.  
Domini-  
ci lib. 2.  
cap. 9.



erant) & facto Crucis signo, iussit eos facessere. Ad imperium viri, fugatus hostis hoc prodigium reliquit, vt mulier magna carbonum & sanguinis vi per os eructata, vnà cum spiritu animam expirasse crederetur. In alijs aciculæ, crines, clauis, vitrorum & ouorum fragmenta, & nescio quæ non quisquiliæ reperiuntur, quæ vti non constat, quo modo intrarint, ita etiam prodigiosè euomuntur.

§. V.

*Quot mala corporibus & animabus eorum, quos insidet, inferat diabolus?*

Atque vt manifestius fiat, quanta vastatione hominem destruat malus iste inhabitator, annumerabo, quid in alijs, atque alijs vel corrumpat, vel efficiat, vt monstri sint. Siquidem 1. sensus inuadit eorumq; organa hebetat, aut opprimit. Hinc in Euangelio legimus, alios excæcatos, alios exsurdatos, alios elinguatos, aut certè mutos factos; quemadmodum & grandæuam illam mulierem, quæ neque oculis, neque auribus quidquam amplius haurire quirit, dæmone organa horum sensuum obstruente; de qua Wilhelmus S. Theodorici Abbas memorat. 2. Vires depopulatur,

Wilhelm.  
S. Theodorici. in